

Io. Bar. Rub. Pegas. in Monstrū Prefatio

Labitur tempus pedibus seueris

Omnibus ducens trepidam senectā:

Labimur passim ut peragrante uento

Aequora ponti.

Ducimus septam grauibus periclis

Inter infandos miseri tumultus/

Inter aduersos properi recessus

Vndiq; uitam.

Linquimus tandem freta praua mūdi:

Linquimus tandem domini superbi

Quicquid incerto ueneramur orbe

Sorte fauente.

Sæpe perplexis uariis figuris

Nostra portentis/uariisq; monstris

A/styge emissis Phlegetonte natis

Vita citatur.

Vita sit nulla stimulata sorde:

Viuite at summo placituri olympe:

Certius nobis nihil esse morte

Mente putate.

Monstra deum uariis cur sint implexa figuris
 (Pegaseas nā sola facis cōcurrere lymphas)
 Musa refer : sancto quæ prospicis omnia uersu :
 Ne lateant nostros horrentia monstra nepotes :
 An Cereris soboles stygio delapsa baratro •
 Eueniat/ querulæ matris miserata labores :
 Vnde datum sceleri ius hoc : mentitaq; ueros
 Mēbra habitus : patribus seu queis cēpere uapores
 Corporeos : moneant/ seu tristia fata reportent
 (Pegaseas nam sola facis cōcurrere lymphas)
 Musa refer ; sanctoq; prospicis omnia uersu •
 Fessa hominū uarias testantia sydera mortes
 Erubuere polo ; fixum Cynosura cubile
 Et tardum nautis sydus mutasse Bootes
 Creditur ; unde tamen ueniat tam dira creandi
 Proluuias / rigidas imitantia corpore beluas
 Agrediar • Solis radii/ Lunæq; uapores
 Corruptæ ; errores crebri/ atq; utriusq; labores
 In nos iuris habent/ tantum/ uel nostra necandi
 Corpora/ ab astrifero quantum hos qui corrigit axe
 Mortales miseri quantis stimolata periclis
 Vita & mēbra manent nostra ; ut dū matris in aluo
 Condimur : inficimur matris per uota ferarum
 In genus immistum ; coitus si fēmina beluę est
 Perpeffa ; hinc referunt formatum mynotaurum

Mariangelus Accursius.

Quod Clarii responsa silent/ & anhele Tonantis
Quercus abest/ terris stirps noua dum colitur:
Natura omniparens leta est: sibi cuncta licere/
Nec sua fas superis soluere operta putat.
At deus omnipotens ueraq; ab origine uerus
Pegaseo rerum præscia corda dedit.
Qui regat indociles/ qui carmine monstra retexat
Quo primum uates ex additis cecinit.
Illa furens/ sua iura deo/ sua munera cedit/
Quando inuita homines tanta aperire uidet.

Ianus Vitalis Castalius.

Pegasee an monstrum: uel te miremur? uterq;
Mirus/ proluuie id/ tu tamen arte lyræ.
Nam dum monstra canis/ rursus portenta resurgunt
Quod culto informem concinis ore feram.
Ergo si rigidas conseruas pectine beluas
Acternum; uiuet te duce quicquid erit.

Finis.